



4.32. 3.f.
1.888.

GRATULATIO

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. IOANNI
GVILIELMO *Jena.*

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ
AC MONTIUM DUCI, LANDGRAVIO THU-
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRIN-
CIPi HENNEBERGIÆ, COMITI IN MAR-
CA ET RAVENSBERG, DYNASTÆ
IN RAVENSTEIN

RECTORI ACADEMIÆ JENENSIS
MAGNIFICENTISSIMO

IPSIS KL. MARTIIS 1688.

IN ÆDE PAULINA ACADEMICA
ORATIONE PUBLICA
MEMORITER RECITATA

SUBJECTISSIME DICATA

A
JACOBO VVILHELMO FORSTERO.

J E N Æ,
LITERIS KREBSIANIS.

103

1.888.

GRATULATIO

REVERENDISSIMO PRINCIPIS
AC DOMINO

DN. JOHANNI

GUILLELMO

SAXONIAE, JULIACI, GLIVIAE
AC MONTIUM DUCI, LANDGRAVIO, PRIN-
CIPIS HENNERGIE, COMITI IN MAR-
CARTE RAVENBERG, DYNASTAE
IN RAVENSTEIN

RECTORI ACADEMIAE JENENSIS
MAGNIFICENTISSIMO

IPSIS ET MARTIS

IN AEDIBUS PAULINA ACADEMICA
ORATIONE PUBLICA
MEMORITER RECITATA

SUBJECTISSIME DICATA

JACOBO WILHELMO FORSTERO.

J. E. N. E.

LITERIS KREBSIANIS.



SERENISSIME PRINCEPS
RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIME
DOMINE CLEMENTISSIME

PRORECTOR MAGNIFICE
*Aulæ pariter Academiæque Proceres
Auditores omnium ordinum honoratissimi
Commilitones Generosi atque Nobilissimi!*

SI quis sibi, ante oculos ponat, hinc
splendidi atque omni ex parte felici
Reſtoratus Hujus gloriam, ma-
gnam profecto & admirabilem;
hinc ſummam & incredibilem lætiti-
am, quâ univerſa Salana octavo abhinc die fruebatur,
atque etiam nunc perfunditur, nemo erit, opi-
nor, qui mihi vitio vertet, ſi pio quodam ac ju-
ſto timore compulſus, hæream animi dubitem-
que, in conſpectu tot ſummorum hominum, in
congregatione virorum tot doctiſſimorum, de
utroque verba facturus, & linguâ quaſi balbu-
tiente expoſiturus id, in quo Romana illa di-
cendi facundia requireretur. Etenim ſi mune-
ris hujus, in quo Te SERENISSIME PRINCEPS
Dei providentia, prudens patrum academiæ
electio conſtituit, dignitatem intueor, non à
me juvene, nullâ ſvadâ, nullâ eruditione præ-
dito, ſuſcipiendum fuiſſet tale negotium, in
quo

quo etiam eloquentiæ principes, quibus Germania se effert undique, satis fortasse laboris & curæ invenissent: Si verò ingens gaudium, & votivas undique acclamations, describere conntar, majus id esse omnino intelligo, quam quod humani possit ingenii viribus perfici. Cæterum cum nostri officii pietas, illeque, quo alias Tibi omnes devincti sumus, observantiæ cultus jubeat, ut, quem sibi patres conscripti inclitæ hujus academiae moderatorem assumere, devotissima salutatione veneremur, cogitavi potius honestati & majorum consuetudini satisfaciendum esse, quam aut proprium SERENITATI Tuæ honorem non tribuere, aut illustrium virorum benignæ concessionis, aut denique amicorum desiderio, minus obsequiosè respondere: quorum partim permissu, partim instinctu factum est, ut Tibi hodierno die modis omnibus gratulari animum induxerim. Quanquam autem suscepti hujus à me negotii, ut jam dixi, ea sit ratio, ut planè superet vires meas, illud tamen maxime me reficit atque recreat, quod latisimus undique dicendi aperiatur campus; adeò ut rerum argumenta invenire facilè, modum verborum tenere difficile sit. Ergo, quod tempori cedendum, ne Tuâ, Princeps optime! clementiâ, Vestrâque, patres gravissimi, abuti videar patientiâ, nihil aliud in præsentiarum
ex-

exponam, quam commune gaudium quo supremam Rectoratus dignitatem in Te, ac Te in tanto munere venerentur omnes; In quibus tamen illa tantum attingam, quæ Rectorem Magnificentissimum brevitatem clementem, auditores rerum varietate attentos reddere possunt. Si verò mihi acciderit, ut hæc de quibus dicturus sum, neque digno satis exornentur encomio, neque verborum suavitate, neque vi commovendi affectus, prout vel rei, vel audientium dignitas postularet, non ego quidem excusari cupio ob modicum temporis spatium, concessum huic meditationi, illud saltem obnixè rogo, velint excusare potius, quam accusare ingenii mei facultates exiguas, unde si nullum alium, tamen hunc spero fructum, quod qui me audiunt, in primis considerabunt honestum ardorem ipsiusque rei magnitudinem ac pondus; quo fiet ut in auscultatione sermonis minus exculti, plus commovebit affectus quam effectus, plus voluntas quam facultas, plus continentia, quam eloquentia juvenis, non Icario, sed modesto procedentis tramite.

Defertur in scopulos absque gubernatore navigium, dissipatur sine duce exercitus; jacet immobile orbatum animâ corpus: in similes fanè calamitates incidere academia, si capite suo destituerentur ac rectore. Quis

B

igno-

ignorat lubricum ætatis, in quâ tot fermè fyrtes
reperias quam quidem in Oceano periculosa
navigantibus saxa? quis ignorat ne minimam
quidem hominum societatem aut firmam satis
aut diuturnam esse, nisi ab uno aliquo, qui pru-
dentiâ cuncta dirigat, imperium expectet? quis
denique ignorat, nihil tam sollicitè ac cautè ab
ingenio humano institui posse, ut nihil contra
illud fati valeat vis. Rectore igitur opus est, ad
quem confugias in tantis procellis, tantâ incer-
titudine, tantâ imbecillitate tanquam ad por-
tum & sydus nauticum quod errantes in viam
reducit, tanquam ad imperatorem, qui præscri-
bit agenda & omittenda, tanquam ad Æscula-
pium & Machaonem quendam, qui cunctis ma-
lis medicam affert manum. Neque mihi nuñc
propositum est, longius ire exemplis, quorum
infinita occurrunt; satis constat de muneris hu-
jus necessitate, perveniendum ad illa quæ ad e-
jus excellentissimam comprobendam faciunt
dignitatem: in qua decoranda illos sequar, qui
non dubitarunt, Musarum regimen summis di-
gnum habere Principibus.

Equidem si ita progredior, quid habebit in-
vida & perversa hominum turba, quod nobis
objiciat, ineptum esse academiæ moderato-
ribus adscribere illa, quæ magnos duces,
& coronata imperantium capita, purpuram
puta & sceptrâ solent comitari. Non à no-
bis

bis, sed ab illis ipsis, qui regio ornati diadema-
te sancti ingenuarum artium custodes, ad tan-
tum supremi honoris evecti fastigium. Evol-
vamus monumenta veterum, legamus res
gestas Cæsarum, Regumque per Europam, in-
telligetis profecto Ferdinandum Aragoniæ
regem existimasse, nihil neque suæ, neque prin-
cipum procerumque dignitati decedere, si in
solenni introitu Magnificum academia Com-
plutensis Rectorem à latere equitantem vide-
ret: intelligetis Maurorum invincibilem do-
mitorem ne contentum quidem fuisse hoc
illum honore saltem affici: Etenim cum præ-
vii regis majestati satellites suffusus livore o-
culis aspicerent se Cæsari, famulos vero acade-
miæ Magnifico Rectori elatis sceptris præire,
peterentque non sine fastuoso murmure, ut il-
la submisse & cum inclinatione quadam porta-
rent, nefas esse ducentes talia in conspectu e-
jus admittere, à quo solo summa imperii de-
penderet potestas: Ecce admirabile & sem-
piternam memoriâ dignum Ferdinandi decisum:
Pergite, pergite, inquit, nihil hoc regis detra-
hit majestati, non in nostro sed in Musarum &
Palladis regno sumus; justitiæ est illis conce-
dere in his locis imperandi facultatem qui di-
vinæ sapientiæ suum dicavere vitæ curricu-
lum. Nec silentio prætereundum factum Lu-
dovici Regis Galliæ, hic cum equo incedens,
Jaso-

Jasonem juris consultum celeberrimum, eâ
tempestate Rectorem Magnificum, tantæ glo-
riæ fecisset participem, perventumque ante
palatium quod in Academiae honorem con-
structum erat, ex equo descendens sinistroque
Rectori accedens lateri dicebat: hic Jason tu-
um regnum incipit: ô plus quam humana vox!
ô singularis & immortalis laude digna mode-
stia! Sed cur ex aliarum gentium monumen-
tis Rectoris præstantiam declarare enitor?
Nemo erit ex hac tantâ multitudine, quem fu-
giet Serenissimos Saxoniae Duces gloriosum
duxisse purpuram hujus Academiae humeris
portare. Quid igitur? num adhuc dubitationi
aliquis relictus est locus, summos orbis terra-
rum Monarchas Rectores Magnificos lateri-
bus suis adjunxisse? nonne mihi ambabus ma-
nibus concedendum, juventutem academicam
propriam habere imperium, proprium Re-
gem, proprium gubernatorem, cujus dignitas
cum amplissimæ ditionis magistratu pari quo-
dammodo ambulet passu. Quod si vobis lu-
ce hac clarius faciam, nostrum regnum, si egre-
gias quas inde haurire licet dotes & ornamen-
ta spectemus, illis longe anteponendum esse,
nullumque Principem rectius ad regni guber-
nacula sedere posse, nisi sub Musarum auspiciis
didicerit, quæ ad conservationem reip. fa-
ciant. Omnia, quæ ex magnis divitiis spera-
re

re possumus ad ornatum corporis pertinent,
nostræ autem artes ad animi decus: quantum
igitur animæ immortalitas corpus humanum
quod fragile atque terrenum superat, tanto
pluris faciendum illud, cuius ope perennitatis
gloriam consequi licet. Exposita sunt regna
splendidissima fortunæ ludibrio, innumeræ
sunt rerum vicissitudines, vitæque nulli data
mancipio: sed Musarum thesauri sapientia,
scientia, rident fati casus, manent illæ si suo pos-
sessori, ruptoque vitæ filo una cum anima ad
ætherea tendunt sydera. Monumenta Re-
gum, æneas virorum clarissimorum statuas,
marmorea defunctorum cenotaphia, tempus
& longa ætas consumit; solæ Musæ, soli lite-
rarum professores cum Lyricorum Poetarum
Principe exclamare possunt: Nos posside-
mus bona, quæ nulla rubigo, nullum ævum,
nulla ventorum, nulla fulminum, nulla diluvii,
nulla Vulcani vis corrumpere potest. Quid-
nam est, quod ad imperii molem sustinendam
melius instruit Principem? certè sapientia, quæ
nullibi nisi in nostro reperitur regno.

Quemadmodum nocturnum sydus Luna, à
sole, mundi, ut ita dicam, oculo suum accipit
splendorem; sic prudens atque proficua re-
gnorum gubernatio à consiliis sapientum: ob-
errat hinc inde in tenebris Virgilianus ille Cy-
clops, privatus lumine, terramque pulsat im-

C

mani

mani corpore; sic proxime à ruina abest res-
pub. nisi sapientiæ præluceat sydus & quasi vi-
am monstret. Vis quippe consilii expers mo-
le ruit suâ. Sed pone magnos orbis terrarum
domitores unâ cum potestate & virtute belli-
ca egregias conjunxisse animi artes, pone quod
in omnibus proeliis, expugnationibus, certa-
minibus, triumphantis palmæ reportaverint
gloriam, magna quidem hæc, sed jam dudum
cana vetustas omnia ingrata tegetet oblivio-
ne, nihil de illis sciret fera posteritas, nisi viri
doctissimi admoverent manus, ut nominis fa-
ma literis æternitati commendaretur. His
debent Magnus Alexander, fortis Achilles, for-
midabilis Pompejus sempiternam sui memo-
riam, cum alias triste sepulchri antrum, ut cor-
pus ita & res gestas æterna obruisset caligine.
Non aliâ de causa sapientes Achivi belligeran-
tem Herculem Musagetem appellitarunt,
quam quia mutuis opibus & præmiis juvare
deberent; Musarum quies defensione Hercu-
lis & virtus Herculis voce Musarum. Non
mihi permittit temporis brevitatis ut longâ de-
monstrem serie, quod fermè omnes illi, qui ab
hominibus, ob res præclarè gestas semideorum
numero accensentur, doctis viris fuerint con-
comitati qui literis facta mandarent. Nonne
sibi Alexander Calisthenem adjunxit, ut eun-
dem & testem & rerum suarum scriptorem ha-
beret;

beret; nonne & idem totius ferme orientis do-
mitor nihil magis in votis habuit, quam ut &
sibi esset aliquis Homerus qui tot ac tantas vi-
ctorias suis decantaret carminibus. Scipio
Africanus in grati animi testem, Ennio statu-
am poni curavit? scilicet ut illius viri memo-
ria, si nullâ aliâ re, tamen picta effigie vigeret,
cujus ligato dicendi genere & sua virtus post
funera viveret. Atqui hæc quidem ideò à
me dicta sunt, ut constaret neminem illos quos
honore dignos imperio suo indignos judica-
re; dulce autem conjunctum amore imperium.
Nihil ego nunc de potestate Rectoris Magni-
fici proferam, nihil de illorum quibus leges
scribit præstantia: fileant Assyrii Ninum, qui
primus finitimis bellum intulit; Cyrum Persæ
silentio transeant, Macedones Amyntam &
Philippum; Poeni Hannonem & Astruba-
lem, quorum castra ingens quidem multitudo
hominum sequebatur, cum his tamen qui sub
rectorum academicorum auspiciis militant,
minimè gentium conferendi; illi ad bella sæ-
vi Martis, hi ad laureati Apollinis doctrinam
artis imbuti; illi ad destruendum, hi ad con-
servandum confluunt; illi ad patriæ securita-
tem, nihil præter arma, hi & literas & ferrum,
quæ duo rerum publicarum fulcra sunt, adhi-
bere possunt. Cum ergo videamus Rectores
Magnificos à Regum latere constitutos, inter
accla.

acclamations & lætos populi plausus, una cum illis superbis vehi equis, cum intelligamus eorum doctrinam immortalia tribuere possidentibus bona, aliquæ sub eorum imperio generosa pectora, quæ, ob insignem quam præstant tum publicæ rei, tum ipsorum gubernatoribus utilitatem summi heroes expetunt, quid est quod ad honoris cumulum, ad laudis aggregationem afferri aut excogitari queat?

Propositæ sunt Rectoratus laudes, quæ quidem pro temporis ratione satis abundanter fuerunt adductæ, interim tamen & numero plures & encomii magnitudine pares adhuc supersunt. Non enim ego nunc dicam quod Principis repræsentet personam ut legatus; omitto exempla illorum, qui injuria Rectorem afficientes, capite plectebantur; taceo summam potestatem, quæ jus vitæ & necis comprehendit; silentio præteream, quod senatus Venetus Patavino Rectori concedat, ut purpuratus & aureâ stolâ incedat, quodque finito regiminis tempore, in ordinem equitum S. Marci recipiatur; nihil proferam de palii colore purpureo, quo Cardinales donantur; nihil de sceptris argenteis, ceu signo potestatis; nihil de illâ quam Lutetianæ Universitatis Rector, præ nuntio Apostolico habet præcedentiâ: magna profectò, & verè laudabilia; quæ multum temporis requirerent.

Si

Si de quolibet argumento oratorio more sermones facere vellemus. Forfitan & mihi dum brevitati studeo in iis quæ dicta sunt quædam fuissent resecanda; sed hæc tamen proferenda omnino fuere, ne illi, qui vesanâ mente literarum studia contemnunt, dubitare possent, purpuram academicam minus esse augustam, quam quod Tuis, Princeps Serenissime, indui mereatur humeris. Pervenendum nunc ad Te ipsum, exponendo cur Tibi potissimum omnes communibus votis istum honorem optaverint atque optare deberint. Sed quoniam hoc absq; laudis enumeratione fieri nequit, metuamque ne modestæ offendantur aures, propterea quod, ut quisq; laude dignissimus est, ita minimè libenter laudes suas coram audire consuevit; supplici voce etiam atq; etiam rogo, Princeps clementissime, patiaris me virtutes jamdudum undiq; notas modicè ac strictim delibare. Ordinarne igitur à Te, aut à Majoribus Tuis? undique latisimus sese dicendi aperit campus. Cæterum quoniam hoc quod postremo loco nominatum est, neque mearum virium, neq; unius clepsydre opus, lubens prætereo ad illa me convertens, quæ Tibi magis propria sunt. Quemadmodum igitur præstantiæ solis non parum accedit, quod à se ipso nec ab alio sydere superiori splendorem accipit; quemadmodum limpidissimi fontis abundans scaturigo ideò maximè laudatur, quod à se ipso profluit: sic ad laudis coacervationem multum facit quod virtus

D

Tua

Tua a Te ceu fonte promanat, & solis instar
longè latèque dispargit lumen, sapientiæ, mo-
destiæ, pietatis. Hæ in uno juvene Principe
tam præclare & in tam eminenti gradu con-
stitutæ sunt, ut propemodum incredibiles, ni-
si ex Saxonica stirpe celebratissimâ natum re-
cordaremur. Perviderunt indolis hujus alti-
tudinem patres conscripti, nihilque illis pri-
us aut antiquius fuit, quam sapientissimo Prin-
cipi magnæ ac florentissimæ societatis guber-
nationem committere. Res mira & fermè si-
bi contraria & juvenem & Rectorem esse. Cur
juvenili ætati dantur Rectores, hoc est viri æ-
tate & longa rerum experientia venerabiles;
scilicet ut devios atque errantes in viam redu-
cant, ad pacem & concordiam omnia diri-
gant, pro omnium salute cogitent vigilant at-
que infudent. In Te autem hoc immutatus
videtur naturæ ordo. Etenim si quis ex com-
muni hominum sorte ætatem tuam æstimet,
Tibimet ipsi Rector opus esset, si illam quæ
ætatem comitatur vivendi prudentiam Tu re-
gis alios; atqui ut uno verbo complectar.
quam immaturum ævo cernimus, tam matu-
rum ad imperandum cognoscimus. Quid de
Tuâ dicam modestiâ? patebit opinor quan-
tum hæc virtus extollat, si ostendam diligen-
ter eam ab historicis in vitis excellentium vi-
rorum notatam. Testis est Cornelius Nepos
in

in Miltiade, testis Julius Capitolinus in Antoino Philosopho, testis Salustius, testis Livius in oratione Fabii senis, increpantis Papii dictatoris superbiam, testis Aristides Rhetor, comparans Miltiadis moderationem cum insolentia Pausaniae. Ergo & nos illud quod clarissimi scriptores de Miltiade & de Te dicere possumus, quod Te amiciorem demones omniū libertati quam Tuæ dominationi & usque adeo comem, ut nemo tam humilis sit, cui non pateret aditus: ergo supremæ potestatis & fortunæ titulum, quem superbia aliàs comitari solet, oblivisceris ut eo benigniorem præstare Te possis. Non ego cogito Panegyricum, nihil amplifico, nihil extendo, & cum multa silentio transferim, illud tamen prætereundum non est: quod literas, bonasque artes impensè diligas. Principale est hoc decus, tum quia in nemine magis splendet eruditionis nitor, quam in magnis ingeniis, tum quia possidentibus non modo prodest, sed & ingens inde in subditos redundat utilitas. Quis ignorat quod Anaxagoras Periclen, Plato Dionem, Aristoteles Alexandrum sapientiæ præceptis instruxerint? non navigasset ab exercitu Cato Rhoden, ut Athenodorum audiret, nec Panætium Scipio videre concupisset, nisi magnum in ea re vel ornamenti vel fructus inesse judicasset. Sed
novi

novi ego quam præclaræ sint cogitationes
Tuæ, novi quem in finem hoc facias: scilicet
Tu mihi eris aliquando Magnus ille Julius, qui
res suas fortiter gestas proprio descripsit cala-
mo, ne ipsi aut adulatione plus, aut invidiâ
minus tribueretur; Tu gloriam habebis Ma-
ximiliani, qui singulis mensibus, velut annali-
bus descripsit res a se domi bellicque gestas; Tu
mihi eris Jacobus primus Angliæ Rex, qui pru-
dentiâ omnia scrutatus est, eloquentia sicarios
à suâ cæde abstinuit, scriptisque se immorta-
lem reddidit. Tu gloriam Ducis Maximi, Wil-
helmi, avi Tui, vel parem sustinebis, vel ma-
jorem, quod pacis & belli artes tam mature
complecteris. Non ignoro, quam modestè
ac prudenter illis à quibus Tibi hoc munus de-
latum est, responsa dederis dixerisque, Te to-
to animo provinciam hanc suscipere, quoni-
am ad illum amorem quo nos omnes prose-
queris, non factus sed natus, non institutus
sed paterno veluti sanguine imbutus sis. Hæ
sunt virtutes illæ Tuæ, propter quas Te omnes
expetunt ut Ducem, venerantur ut Princi-
pem, diligunt ut parentem. Concedes mihi
spero salutis publicæ fons & origo, si hic in
recensione laudis Tuæ pedem figam, non quod
nobilissimi hujus auditorii expectationi ac de-
siderio satis factum sit, sed quia hæc ad Te de-
fatigandum sufficiunt. Restat ut animorum
nostro-

nostrorum gaudium summamque omnium læ-
titiā adducam, in quā, quia mihi ita versa-
ri non licet, ut magnitudinem ejus verbis af-
sequi possim, ignoscendum potius quam suc-
censendum erit: imo ex illo eximiam omni-
um & planē singularem lætitiā colligere li-
cebit, quia nulla satis vehemens aut illustris
inveniri potest oratio, quæ quidem externas
gaudii signa describere, internum verò animi
affectum exprimere nunquam satis potest.
Quantus sit studiosæ juventutis, Princeps sa-
cratissime! erga Te amor, quæ voluntas, quæ
animi propensio, nunquam fuit aut dubium
aut obscurum, sed tamen nuper luculentissi-
mè cognoscere potuisti cum Tuum in Michae-
lis templum ingressum parares; tantus omni-
um ætatum, omnium ordinum confluxus fa-
ctus, tanta per fenestras undique prospicien-
tium multitudo, ut ipsi colles quibus circum-
vallata undique Salana cernitur, ipsa ur-
bis moenia, si per naturam fieri posset, sedi-
bus suis relictis obviam Tibi prodire cupere
viderentur: ipsa coeli facies tuo propitia
honoris, cum quæ tristis hæctenus & ob-
scura fuerat, te in forum ingresso, ita dere-
pente nitere coepit, ut illa subita serenitas, fa-
cile omnibus indicarit, honores qui Tibi ha-
berentur, etiam superiorum judicio probari.
quacunque incedebas faustis acclamationibus

E pla-

plateæ personarunt; omnes singularem il-
lam lætitiã, quam pectore gerebant etiam
signis, ore, oculis, manibus indicandã esse
judicarunt; omnium in Te figebantur ocu-
li; alii Te ut Rectorem Magnificentissimum,
alii ut patriæ fulcrum intuebantur: nunc
quoque quanta hæc subfella compleverit
multitudo vides, quæ nullã aliã de causã in
hunc locum sacrum convenere, quam ut Deo
gratias agerent, simulque pro Tua incolumi-
tate preces fundant. O omnipotens mun-
danæ hujus machinæ gubernator! quamvis
in potestate nostra positum non est, ut dignæ
pro tanto munere persolvi possent gratiæ, at-
tamen ardentissimas quas mittimus preces
non spernes: Vivat Serenissimus Princeps
JOHANNES WILHELMUS, Rector
Magnificentissimus! Nullas neque laudi ne-
que imperio ejus metas ponimus, precamur
sine fine fortunam secundam, sine fine impe-
rium; non vigeat sed floreat Tua gloria,
non coruscet, sed splendeat; semper trium-
phans, semper augusta! Hæc vota, hæc su-
spira tacitã mentis cogitatione quilibet reli-
giosè solvit. Quemadmodum Romanæ ur-
bis moenia intrante laureato, & purpura
splendente victore Capitolium, lætisono po-
puli sonabant plausu; Sic & Salana modis
omnibus gestit atque exultat, dum Rector
Magni-

Magnificentissimus, fulgens ostro, cæruleis-
que micans gemmis, sacris appropinquat se-
dibus. Difficilis aliàs res est, ut multi, nulli-
us imperio adstricti in unam rem sua dent
nomina: Sed bone Deus! quam primum
innotuit Serenissimum Principem academicâ
purpurâ ornatum iri, quæ fuit animorum a-
lacritas! quæ concordia! omnes honores
ab omnibus decernebantur, sed quomodo
hoc faciendum sit saltem quærebatur; dicen-
tibus aliis illum reverentiæ cultum esse exhi-
bendum, qui redeuntibus ex prælio victori-
bus solet; alii optabant, ut novem ille Mu-
sæ ex Parnasso descenderent, vel ut Orpheus
quidam adesset, qui dulcia moveret pleetra,
ita ut ego crediderim venisse nobis aurea illa
tempora, quæ majores nostri Saturni voca-
bant: Reliquit Astræa coelum, rediitque in
terram, tranquillam omnibus afferens pacem.
Quæ cum ita sint patres conscripti, nosq; tot
ac tanta bona vestrâ electione consecuti sim⁹,
scitote, immortales ab omnibus vobis solvi
gratiarum actiones, scitote, quotiescunque po-
steri salubria ejus facta, animo secum repe-
tent, totiescunque vos laudibus in coelum e-
vehent. Atque ut ab eo, cujus causa suscepta,
in eodem etiam terminetur oratio, gratula-
mur Tibi Rector Magnificentissime, Princeps
ac Domine clementissime! non quantum vo-
lumus,

lumus, sed quantum possumus, non quantum aut dici aut cogitari potest, sed quantum nec dici nec cogitari potest. Quicquid in nobis virium, quicquid opis, id pro Tua dignitate & salute exponere parati sumus. Laudabantur olim Fabiani & Iphicratis milites ob parandi promptitudinem, quam severitas militaris expresserat; laudabitur nobilissima hujus academix pubes, in eo, quod pio amore & suavi obsequio commota non tam citò moneri poterit, quam quidem ad expediendum proclivis erit. Eris nobis imposterum coruscans ille radius sol; Magnificus ProRector una cum Professoribus reliquis Planetarum instar in Zodiaco, statos officiorum ordines justè obeuntes: tot generosa pectora, tot juvenes nobilissimi stellarum ducent choros, & erunt quasi minora sydera, minores ignes, cursum solis obsequiosè concomitantes. Quamdiu vitæ usura nobis contiget, tamdiu jucunda mentis cogitatione recordabimur, nos sub auspiciis Principalibus in Musarum castris stipendia meruisse: veteranorum instar militum, ducum imperia gloriosè jactantium. Quilibet sibi ante oculos ponet illam quam in foro conspicimus honoris portam, ingeniosas symbolorum heroicorum imagines, illustria familiæ stemmata, pictas toto opere figuras, musicumque quo transeuntem exceperant clangorem: adeò ut illud quod multos ante annos destructum grata sensuum fictione denuò reædificabitur: nostramens, nostræ cogitationes Tibi imposterum porta honoris erunt, quas quotiescunque subibis, fiet autem hoc sæpissimè, toties altâ voce sumus exclamaturi

Salve fausta dies! Salve Sanctissime Princeps!

Candidior redeat qualibet hora Tibi!

Purpureos, humeri gestent, bona signa, colores;

Excelsum decorent aureaserta caput!

D I X I.



GRATULATIO

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. JOHANNI
GVILIELMO

Jena.

SAXONIÆ, CLIVIÆ
AC MONTIUM GRAVIO THU-
RINGIÆ, MARITIMÆ, PRIN-
CIPALITATIS HENNEBERGICÆ
CA ET RAVENBERGICÆ
DYNASTIÆ

RECTORI ACADEMIÆ
MAGNIFICENTISSIMO

1688.

IN ÆDE ACADEMICA
ORATORIA

JACOBO FORSTERO.

LITERIS KREBSIANIS.

103

